ARCHIVO

DE LA

EXCMA. DIPUTACIÓN PROVINCIAL

SEVILLA

SECCIÓN HISTÓRICA

Legajo 13

Número 3

HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS, Leg. 13.

~~N.º 39.~~ N.º 4.

Bula de Alejandro VI confirmando el nombramiento de Patrono en favor del Prior del Monasterio de San Isidro del Campo, por no haber querido aceptar el Cabildo dela Santa Iglesia de Sevilla.

1.502.

leg. 1B, doc. n.º 3

DIPUTACION DE SEVILLA
CULTURA Y ECOLOGIA

Fecha: 1502

Tipología documental y descripción de contenido:
BULA DE ALEJANDRO VI CONFIRMANDO EL NOMBRAMIENTO DE PATRONO EN FAVOR DEL MONASTERIO DE SAN ISIDORO DEL CAMPO.

Medidas: 40 (36 + 4) x 54 cm.

Estado de conservación: BUENO

Observaciones:

Procedencia (legajo): HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS.
LEG. 1 B

Signatura: PERGAMINOS, 1
HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS, LEG. 1 B

de nombram^to de Patronato ael P. Prior de S^n ~~[illegible]~~

[illegible]ado —

N.º 3.º

1502.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam [illegible]
Honestis fidelium precesertim Nobilitate generis pollentium votis libenter annuimus ea que
favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem pro parte dilecte in Christo filie Nobilis
mulieris Catherine de Rivera relicte quondam Petri Henriquez Maioris Adelantado
nuncupati de Murcia domicelle in Civitate Hispalensi commorantis nobis exposito quod
ipsa Catherina fervore devotionis accensa cupiensque terrena in coelestia et transito-
ria in eterna felici commertio commutare desiderabat in Civitate Hispalensi ad quam
ex diversis mundi partibus magna in dies fidelium confluebat multitudo de bonis sibi
a Deo collatis unum Hospitale pauperum construi et edificari facere illudque com-
petenter dotare. Nos ipsius Catherine in ea parte supplicationibus inclinati sibi in aliquo
loco ad id commodo et decenti infra limites parrochie collationis nuncupate parrochialis
Ecclesie Sancte Catherine Hispalensis unum Hospitale pauperum sub invocatione quin-
que vulnerum domini nostri Jesu Christi in quo pauperes et alie miserabiles persone
benigne recipi et caritative tractari, infirmique curari et eis in eorum necessitatibus
subveniri possent cum una Capella sub invocatione predicta ac Campanali humi-
li Campana et Cimiterio in quo infirmorum et aliarum personarum in eodem
Hospitali pro tempore decedentium illiusque Officialium et Servitorum corpora se-
peliri libere et licite valerent et aliis officinis necessariis construendi et edificandi
per alias nostras litteras licentiam et facultatem concessimus necnon in dicta Capel-
la unam Capellaniam pro uno Capellano qui per se vel alium idoneum presbi-
terum singulis diebus unam Missam inibi celebrare teneretur ereximus et instituimus
absque tamen alicuius preiuditio ac Capellanie et Hospitali predictis pro eorum dote
omnia et singula fructus redditus et proventus et alia bona ad id per ipsam Catherinam
concedenda et assignanda ex tunc prout ex eadem die et e converso perpetuo applicavi-
mus et appropriavimus et quod in Capella et Hospitali huiusmodi singulis annis in die
dominica Pasce Resurrectionis eiusdem Domini nostri Jesu Christi immediate se-
quenti que in Albis dicitur festum Quinque Vulnerum Christi huiusmodi etiam so-
lemniter celebrari posset et deberet. Quodque Monasterium Sancti Hieronymi per
Priorem solitum gubernari et domus Beate Marie de las Cuevas extra muros Hispa-
lensis fratrum eiusdem Sancti Hieronymi et Cartusiensium ordinum Priores pro
tempore existentes et unus Canonicus Ecclesie Hispalensis vel aliqua alia illius per-
sona in ecclesiastica dignitate constituta qui vel que ad id per dilectos filios dicte Eccle-
sie Hispalensis annuatim eligi et deputari deberent Hospitalis et Capelle predictorum
Patroni et Gubernatores essent et esse illorumque bona et personas regere et gubernare, illa
que et illas ac Capellaniam predictas pro tempore obtinentem visitare et corrigere ac
Capellanum in dicta Capella et quoscumque Officiales et Servitores Hospitalis huiusmo-
di ad eorum nutum deputare ponere et amovere libere possent et valerent necnon quod
collatio dicte Capellanie seu Capellani ad illam deputatio tunc et quotiens illam per
cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem illam pro tempore obtinentis
aut cum per eosdem patronos ab illa pro tempore facta amotione vel alias quov

to vacare contingeret per ipsos tres patronos insimul congregatos vel duos
aliquo absente fieri valeat et collatio seu deputatio huiusmodi sic facta valida et efficax
existeret ipsaque Capellania per loci ordinarium aut quemcumque alium praeter dictos
patronos quavis etiam Sedis Apostolicae auctoritate seu per Sedem ipsam conferri
et Hospitale huiusmodi alicui committi seu commendari, vel in titulum seu ad-
ministrationem concedi ac sub gratiis expectativis specialibus vel generalibus reserva-
tionibus comprehendi, et quod consanguinei seu Heredes vel Successores dictae Cathe-
rinae vel aliqua alia persona etiam cuiuscumque status vel conditionis foret etiam
praetextu donationis et fundationis huiusmodi vel quavis alia ratione seu causa de
hospitali et Capella praedictis ac illorum bonis eorumque regimine et gubernatione
se impedire nullomodo possent sed ipsis consanguineis seu heredibus ea quae pro bono re-
gimine et statu dicti Hospitalis expedire cognoscerent eisdem patronis significare et super
hoc eorum conscientias onerare tamen liceret inter alia statuimus et ordinavimus pro-
ut in eisdem litteris desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut exhibita no-
bis nuper pro parte dictae Catherinae petitio continebat praefatum Capitulum unum
Canonicum seu aliam personam in dignitate constitutam huiusmodi annuatim eligen-
di et deputandi ac praemissa una cum dictis Prioribus exequendi acceptare recusaverit
praefatae + pro parte ~~[illegible]~~ praefatae Catherinae nobis fuit humiliter supplicatum ut ne pia eius ordinatio hu-
iusmodi propterea impediatur loco Canonici seu personae per Capitulum eligendae hu-
iusmodi Priorem Monasterii per Priorem soliti gubernari Sancti Isidori Or-
dinis Sancti Hieronymi et dictorum praedictorum deputare aliasque in praemissis opportune
providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur praefatam Catherinam a
quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis cen-
suris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet
innodata existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolven-
tes et absolutam fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati Priorem Monasterii
Sancti Isidori pro tempore existentem loco Canonici seu personae in dignitate ecclesiastica
constitutae per Capitulum eligendae huiusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium
deputamus ac litteras praedictas valere decernimus in omnibus et per omnia perinde ac si
in illis patroni et Gubernatores hospitalis et Capellae et aliorum praemissorum executores
non Capitulum seu deputandum ab eis sed Prior Monasterii Sancti Isidori huiusmo-
di una cum aliis duobus Prioribus deputatus fuisset. Necnon praefatae Catherinae ut
dictam Capellam postquam constructa fuerit si adhuc constructa non sit, per quemcumque
Antistitem gratiam et communionem dictae Sedis habentem consecrari ac Cementerium
benedici facere possit, licentiam eadem auctoritate concedimus. Non obstantibus Constitu-
tionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis quae in dictis litteris voluimus
non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
paginam nostrae absolutionis deputationis constitutionis et concessionis infringere, vel
ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit indignatio-
nem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit
incursurum. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae
Millesimo quingentesimo secundo Sexto Kalendas Decembris Pontificatus nostri
Anno Undecimo.